# SUAVIORIS HARMONIÆ INSTRUMENTALIS HYPORCHEMATICÆ FLORILEGIUM SECUNDUM,

Sexaginta duabus excultis Modulationibus recentiori Stylo choraico Senſim magis Floreſcente concinnatis,

*AC*

Inter feſtivas Paſſavienſis Aulæ ſolemnitates In ſummorum Hoſpitum ſplendidiorem exceptionem, Æquè ac in ſaltatorium Jlluſtriſſimæ Juventutis exercitium Pleno Concentu felicitèr exhibitis,
Com̃odiſſimè verò

*A QUATUOR VEL QUINQUE FIDIBUS,*
***UNA CUM BASSO CONTINUO,***
*SI LUBET ANIMANDIS,*

ET

*In octo Tonorum Varietate diſtinctos Faſciculos congeſtis*
*perquam ſtudiosè Contextum,*

NEC NON

Ad meliùs intelligendam, faciliùsque aſſueſcendam veram, elegantiorémque ejuſcemodi Choreumatum accuratiùs exprimendorum Methodum,
Nobiliſſimúmq; Muſicæ Artis ſtudium circa hoc harmoniæ genus, ſuam ad perfectionem propiùs evehendum,

DISTRIBUTIS IN QUATUOR IDIOMATUM PRÆFATIONES OBSERVATIONIBUS QUIBUSDAM SCITU MAGIS NECESSARIJS PROFICUE JLLUSTRATUM.

AUTHORE
*GEORGIO MUFFAT*
Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. J. Principis, & Epiſcopi Paſſavienſis Capellæ - Magiſtro, & Epheborum Præfecto.

## BASSO CONTINUO.

PASSAVIJ,
Apud AUTHOREM,
Typis GEORGIJ ADAMI HÖLLER,
M. DC. XCVIII.

TItulus, Dedicatoria, & Præfatio hujus ſecundi Florilegij, unà cum in eo contentis obſervationibus proficuis,& modulationum præcipuarum ſignificationibus, quemadmodum hic latinè ; Sic in *Violino* Germanicè , in *Violetta* Italicè, & in *Violone* Gallicè translata reperienda ſunt.

DIſes anderten Blumen-Bunds Titul / Zuſchrifft vnd Vorred / ſambt denen darinn-begriffenen nutzlichen Anmerckungen / vnd Bedeutungen der vornehmſten Stuck / gleichwie ſie allhier Lateiniſch ; Alſo ſeynd ſie bey dem Violino in das Teutſche / bey der Violetta in das Welſche / vnd bey dem Violone in das Frantzöſiſche überſetzter zu finden.

IL *Titolo*, *la Dedicatoria*, *e la Præfatione di queſta ſeconda ſcielta di Baletti*, *coll' oſſervationi profitevoli che contienne*, *e le ſignificationi delle più principali Modulationi*, *conforme ſi vedono quì in latino*, *così ſi troveranno meſſe in Todeſco nella parte del* Violino, *in Italiano nella* Violetta, *ed in Franceſe nel* Violone.

LE Titre, la Dedicatoire, & la Preface de ce ſecond Recveil d'Airs de Ballets, avec les obſervations fort utiles, qui y ſont contenues, & l'explication des principales pieces, comme Vous les voyez icy en latin, de même vous les trouverez translatées en Allemand dans la Partie du Deſſus, ou *Violino*; en Italien dans la *Haute-Contre*, ou *Violetta*; & en Francois dans la Baſſe, ou *Violone*.

REVE-

REVERENDISSIMO, AC ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
# JOANNI TRAUGOTT,
S.R.J. COMITI, ET DOMINO
DE
# KUEFFSTEIN,
Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis Canonico, & Capitulari, &c. &c.

NEC NON ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
# LIEBGOTT,
S.R.J. COMITI, ET DOMINO
DE
# KUEFFSTEIN,
Libero Baroni in Greillenſtein, Domino in Spitz, Weidenholtz, Hortheimb, & Schwertberg, &c. SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS Camerario; atque in Archiducatu Auſtriæ Rei argentariæ Præfecto hæreditario, & Conſiliario Provinciali, nec non Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S.R.J. Principis, & Epiſcopi Paſſavienſis Conſiliario Intimo, & Aulæ Mareſchallo, &c. &c.

DOMINIS DOMINIS GERMANIS FRATRIBUS,
Dominis, Dominis ac Mœcenatibus meis Gratioſiſſimis,
D. D. D.

## REVERENDISSIME AC ILLUSTRISSIME
DOMINE CANONICE,
## ILLUSTRISSIMEQUE DOMINE MARESCHALLE,
S.R.J. COMITES,
Domini, Domini ac Mœcenates Gratioſiſſimi, &c. &c,

ALterum hoc *Suavioris Harmoniæ Inſtrumentalis Hyporchematicæ* FLORILEGIUM concinnaturus, Opus uti ſpero, ingenioſæ ſimul ac genuinæ Muſices Cultoribus non ingratum, quò illuſtriùs publicam lucem aſpiciat, *Illuſtriſſimo veſtro Nomini* ſubmiſſè conſecro, dico, dedico. Neque ut probè ominor, abs re; quoniàm, ſi in Nobiliſſima Muſices Arte, Harmonia ſit ſonorum inter ſe grata Concordia, & nullibi æmoenius ſuos edat Concentus, quàm ubi ſibi parem advertit

ſympathiam; profectò novum iſtum Muſicalem partum non jam meo arbitratu, ſed omni jure vobis debeo, *Jlluſtriſſimi Domini, Domini, ac Mœcenates Gratioſiſsimi!* Vel enim primævam utriusque ſplendidiſſimam originem conſidero, pari Jlluſtriſſimo ſanguine progenitos Germanos Fratres ſuſpicio: Vel unà cum Jlluſtriſſimo ſanguine ingenitam ſublimiorum Virtutum cohærentiam maturiùs contemplor, Sacrum pariter ac Politicum Orbem par veſtra illuſtrat in utrúmque meritorum magnitudo. Et ſanè quod parem animorum, voluntatúmque concordiam maximoperè commendat, ambo vos pari in ſuperos pietate, pari in Auguſtiſſimam domum Auſtriacam zelo, & fidelitate, pari ergaClementiſſimum Principem noſtrum obſervantiâ, erga coæquales comitate, erga inferiores affabilitate, erga omnes ſinceritate acBenevolentia conſpicui,omnium animos veſtrum in affectum officioſiſſimè rapitis. Taceo avitæ Jlluſtriſſimæ Proſapiæ Veſtræ Gloriam, quæ ſuomet ſplendore Jlluſtrior eſt, quàm ut tenui mea commendatione aliqua ei laudis acceſſio fiat. Unus,Inclyti Stemmatis Veſtri Clariſſimum Sydus, Jlluſtriſſimus atque Excellentiſſimus Avus LUDOVICUS, Encomiorum veſtrorum, ac Heroicæ Magnanimitatis Epitome eſto, pereñaturæ famæ digniſſimus, ſub Auguſtiſſimo Imperatore Glorioſiſſimæ memoriæ FERDINANDO III. Superioris Auſtriæ Supremus Capitaneus,etiàm graviſſimo ad Portam Ottomannicam Legationis Munere ſumma cum laude AulæCæſareæ, ac Univerſi S.R.J.Solatio functus, immortali Gloria etiam poſt funera Vivus.

Id unum cum Muſicus ſim, atque Muſicalia Opera Juri publico apparem ſilentio non tranſeundum exiſtimo, quòd cæteras inter excelſi animi veſtri dotes, poſtrema minimè cenſenda ſit haud vulgaris veſtra ergaMuſicam, Muſicæque cultores propenſio, ac Beneficentia; quin ne dum hujus Nobiliſſimæ Artis Profeſſores favore & gratiâ proſequimini, verùm ipſimet, ſi quando ab altioribus curis licet, eximio huic exercitio quædam horarum momen-

ta non

ta non minùs honorificè, quam delicioſè impenditis. Nobilis ſanè generoſi animi ad propulſandum à ſe torporem occupatio! Ingenua, honeſtaque poſt graves occupationes & labores inclytæ mentis relaxatio!

Non fortuitò igitur, aut temerè factum eſſe confido, quòd Modulatoriam hanc meam elucubrationem utrique *Jlluſtrisſimæ Dominationi Veſtræ* conjunctim ſacrandam Judicaverim; ſiquidem nonnullæ exhiſce melotheſibus, ad honorificentiùs excipiendos Jlluſtriſſimæ domûs Kueffsteinianæ Proceres Jlluſtriſſimos Dynaſtas, Gratiſſimos Hoſpites, Tuarum Primitiarum ad ſolennitatem, *Reverendisſime ac Jlluſtriſſime Domine, Domine Canonice*, gratulabundos adventantes, ex mandato *Celſiſſimi Principis* à me concinatæ, feſtivos inter applauſus reſonuerint: quin & hæ, & ceteræ in hoc Opere contentæ, atque ad ſolenniores Principum, aliorùmque ſummorum Virorum in hanc Principalem Aulam ingreſſus magnificentiùs illuſtrandos; neque minùs ad ſuppeditandum Jlluſtriſſimæ Juventuti Nobile ſaltationis exercitium recenter à me compoſitæ, Sapientiſſima Tua directione, cunctarúmque rerum provida ordinatione, *Jlluſtrisſime Domine, Domine Mareſchalle*, eum ſibi conciliavêre honorem, ut non minùs ob præclaram drammatum ſcenarúmque diſpoſitionem, ingenioſoſque ſaltuum motus, & ſaltantium agilitatem; quàm ob emphaticam Muſicorum Inſtrumentorum Harmoniam, commendabilem ſibi plauſum ſempèr pepererint. Me quoque harum Authorem, tametſi tantis Gratijs longè imparem, pari generoſiſſimo affectu complexi etiam ab Invidorum technis, atque inſidijs eâ, quâ polletis Authoritate exemiſtis, foviſtis, protexiſtis. Imò ſiquid Hoc in Florilegio bonitatis, ſiquid utilitatis, aut delectationis reperire eſt, habent Muſo-phili quod *Jlluſtrisſimis Dominationibus Veſtris* referant; eò quòd, ut facilius publicam in lucem prodiret, cæteros inter ampliſſimos favores, inſignis veſtrâ utriuſque liberalitas, ac Munificentia media ad typum neceſſaria benignè

ſuppeditaverit; ſine quibus, non exiles ſolius tenuitatis meæ, verùm etiam florentiſſimi celeberrimorum Litteratorum partus obſcuræ in oblivionis ſuæ cæno ſepulti ſæpè remanerent. Nec infima, ut reor, inclytæ Generoſitatis nota eſt, Muſas opibus plerúmque deſtitutas, ſolísque litteris dotatas, Beneficentiâ ſublevare, & ad altiora incitare.

Reſpicite igitur, *Jlluſtrisſimi Domini, Domini Comites*, benigno quo ſoletis vultu hunc qualemcúnque Ingenij mei partum, meque, meóſque ſub Jlluſtriſſimæ Benevolentiæ, ac Patrocinij veſtri umbra Gratioſisſimè fovere, protegere, ac conſervare pergitote. Vivite DEO, Eccleſiæ, Aulæ, & quandôque etiam Clienti veſtræ Muſicæ, Jlluſtrisſimæ Domús Kueffsteinianæ perpetuum incrementum, & decus. Ita Voveo

*Jlluſtrisſimarum, Gratioſisſimarumque*
*Dominationum Veſtrarum*

Servus humillimus
Georgius Muffat.

Præfa-

# PRÆFATIO.

Cum animadverterim *Amice Lector*, choraicarum modulationum mearum Florilegium Primum, quod Auguſtæ Vindelicorum typis datum, initio præterlapſi Anni 1695. veluti plurium futurum Operum meorum muſicorum Prodromum, publicam in lucem præmiſeram, a Muſo-philis compluribus, præſertim ijs Styli hujus fluidioris æſtimatoribus, quorum delectationi potiſſimùm deſtinatum erat, non tantùm benevolo ſuſceptum animo fuiſſe; Sed & magnum promiſſorum ibidem ulteriorum meorum Choreumatum deſiderium poſt ſe reliquiſſe: Operæ pretium eſſe duxi, Florilegium iſtud Secundum, priori illo, melotheſium numero copioſius, inventorum varietate Jucundius, obſervationumq; annexarum utilitate, pro ut ſpero, commendabilius honeſtæ animi tui relaxationi, proboque Judicio exponere. Continet autem Hyporchematum recentiorum a me Paſſavij concinnatorum, & cum aliquo applauſu tam ſaltu, quam Inſtrumentorum Concentu in hac Principali Aulâ præclarè exhibitorum non exiguam partem. Quæ tametſi pro diverſis alijs, ut pote Privatis, menſalibus, aut nocturnis ſymphonijs poſtmodùm etiam uſurpata fuerint, magis tamen *Celſ.mi ac Rev.mi Principis, Domini, Domini mei Clementiſſimi*, paſtorali in nobilem nobiliſſimæ Juventutis educationem vigilantiæ, quam ſoli meo aures ſuaviter, Jucundèque demulcendi deſiderio, ſuam debent originem.

Cum enim *Celſitudo ſua Rev.ma* de progreſſu tùm Jlluſtriſſimorum DD.Nepotum, tùm etiam DD.Epheborum ſollicita, quid in litteris, quid & in nobilioribus exercitijs, hinc quid in Arte ſaltatoria præſtarent expiriri ſtatuiſſet; rogavit eximius Aulæ hujus ſaltuum Præfectus, *Celſ.miq; ac Rev.mi Principis noſtri* ſimul Cubicularius, *D.Chriſtianus Leopoldus Krünner*, ut ſumptis quibuſdam ingenioſæ fictionis argumentis novas adaptarem melodias, quarum ad harmoniam comicis perſonarum veſtibus, ſcenarumq; theatrali quodam apparatu ſplendidiùs ſaltaretur. Cujus petitioni cum pro tenuitate mea ſatisfeciſſem, adeò benignos *Benigniſſimus Princeps* in concordem hunc noſtrum laborem conjecit oculos, ut ad ſuppeditandum ulterius ſaltationis laudabile exercitium, plura his ſimilibus noſtræ utriuſque profeſſionis ſpecimina in poſterum ſubinde non ſolùm apparari; verùm etiam coram alijs Principibus ſummiſque viris hanc in Aulam adventantibus ſpectaculi loco exhiberi decreverit, & exhibita Clementiſſimo ſemper nutu approbare ſit dignatus.

Quo,

Quorum equidem præcipuè, Te præmonendum eſſe cenſui, Lector Benevole, ut ſiquæ Operis hujus modulationes delicatis tuis auribus tantillum quid aut vulgare, aut peregrinum in ſe habere viderentur, id non ſterilitati, aut aſperitati; Sed genuinarum in ſaltu repræſentationum neceſſati probè attribueres, prout e titulorum ſingulorum, Frontiſpicijq; æneii initio *Baſſi Continui*, & *Violini* conſultò præpoſiti inſpectione facilè colliges.

Quamvis enim in eorum numerum minimè accenſeri vellem, qui obvios quoslibet hauriunt influxus, & quò ſtolidiores, eò ſæpè laude digniores exiſtimant, quibus Jllud Horatij non incongruè conveniret:

*Nimium patienter utrumq;*
*Ne dicam ſtultè mirati.*

Contingit tamen, ut pro Materiæ qualitate, expreſſivæ quandoque morum, verborum, geſtorumque imitationi, aliquid concedendum ſit. Quocirca cum ad vitandum exceſſûs vituperium magnâ circumſpectione opus ſit, in id ſaltem incubui, ut quæ in ſupremæ Vocis, *Violini* ſcil: melodiâ parumper inſolita eſſent, Selectarum conſonantiarum ſuavitate mitigarem; quæ autem tantillam tritorum ſpeciem præ ſe ferrent, docto *Violarum* mediarum, *Baſſique* artificio nobilitarem.

Habes præterea in hoc Secundo Florilegio, primarias, & in priori nuper Tibi promiſſas in Selectiſſimum Choreumata rectè producendi modum ad mentem *J.Baptiſtæ Lullij* a me factas obſervationes, curioſitati eorum maximè dicatas, quos de verâ methodi hujus ratione nondùm ſatis edoctos, in quo potiſſimùm conſiſtat, aut ab aliorum uſu, & opinione differat, accendit ſciendi deſiderium. Quæ omnia quantum experiri mihi licuerit breviter expoſiturus, ab alio, qui chelyſationis artem ex profeſſo abſque hoc exerceret, modumque prædictum optimè intelligeret, pro ut plures his in partibus jam habemus, multò meliùs quam a me tractari potuiſſe, facilè concedo. Proteſtor inſuper, me his quæ modò dicturus ſum, Eximiorum cæteroquin aliorum chelyſtarum (quibus præ cæteris Germaniam florere venerabundus agnoſco) etſi normæ huic non aſſuetorum, pluribus tamen, ſublimioribusque Artis hujus partibus excellentium, condignæ laudi, partæque famæ nec quidquam velle derogatum iri; qui, ſi cum eâ quâ pollent Muſicæ perfectionis ad improviſa quævis certitudine, manuumque agilitate, & artificiorum multitudine, vivacem *Lullianæ* ſuavitatis elegantiam conjungere vellent, extraneos non ſolùm adæquarent, ſed etiam hâc ex parte multis paraſangis facilè ſuperarent.

Porrò addidi in fine Operis hujus, Faſciculorum, tonorùmque, & annorum quibus hos compoſui, Indicem; nec non etiam tam priorum, quàm proximè edendorum aliorum operum meorum Syllabum, quò Te remitto; cùm, ut ſiquid aliorum in Operibus, meis inventis ſimile reperias, è temporis ſupputatione aliundè a me mendicatum fuiſſe non arguas; tùm etiam, ut habitâ eorum notitiâ, quæ tui oblectamenti, ulterioriſque in Arte profectûs gratiâ elucubro, hos meos conatus, & labores benigniùs ſuſcipias. Vale, & fave.

Obſer-

# OBSERVATIONES PRIMÆ
## In Lulliano-Gallicum choreumata exhibendi modum: Quarum Exempla cum his, quæ hic dicentur conferenda, initio partis *Viola* intitulatæ ſuo ordine poſita ſeorſim quærenda ſunt.

MOdus melotheſes hyporchematicas ad mentem famoiſiſſimi Joannis Baptiſtæ Lullij fidibus animandi, à nobis hic ſuâ in puritate intentus, & præſtantiſſimorum orbis Muſicorum approbatione & admiratione commendatus, adeò terſæ indaginis eſt, ut vix quicquam accuratius, vix aliquid Suavius, aut elegantius excogitari poſſit. Cujus ut præcipua, Tibi Muſophile Benevole breviter hic aperiam arcana, duo mirum in modum ſimul conjuncta eſſe ejus officia, velim Scias: nimirum aures quàm ſuaviſſimè demulcere; & ſaltationis numeros ità exactè inſinuare; ut cujus ſpeciei quælibet modulatio ſit, quàmprimùm dignoſcatur, & artificioſi tripudij motus animis, & pedibus vel invitis inſpirare videatur. Ad Iſta præſtanda autem, quinque arbitror eſſe neceſſaria. In Primis ad edendos puros ſonos Juſta, & firma chordarum contrectatio. Deindè Plectri certis regulis ducendi, à totâ fidicinum decuriâ, una eademque tenenda ratio. Tertiò motûs, ſive temporis muſici cuivis cantilenæ proprij conſtans obſervatio. Quartò ad certos receptos repetitionum uſus, certas notarum interpretationes, ſtylique & Saltatoriæ Artis proprietates perſpicax attentio. Quintò denique venuſtatum quarundam, ſingularum vocum melos in aures ſuaviùs, & elegantiùs inſinuantium, & harmoniam ſcintillantibus veluti gemmis hinc inde illuſtrantium Judicioſa uſurpatio. De quibus ſequens diſtichon.

*Contactus, Plectrum, Tempus, Mos, atque Venuſtas*
*Efficient alacrem, dulciſonamque chelyn.*

## I. De Contactu.

DE chordis per legitima Juſtorum ſonorum intervalla purè comprimendis, inter præſtantiores Europæ fidicines, etſi natione, & ſtylo diverſos, nulla eſt diſcrepantia: contra quornm uſum & præcepta, vel imbelles tantùm Tyrones; vel rudiores fidium corruptores, ubiquè terrarum peccare ſolent. Ad vitanda verò falſorum ſonorum vitia, periti magiſtri aſſiduâ informatione, & correctione nihil efficacius; à quo & primaria chelyſationis fundamenta priùs hauſiſſe neceſſariò ſupponimus; de quibus hic tractare inſtituti mei non eſt. Solùm dicam ad ſonos puros, & Juſtos aſſueſcendos, auditúmque delicatum acquirendum, & conſervandum poſt abſolutam egregij magiſtri inſtructionem, ſummoperè Juvare, cum talibus phonaſcis, qui ejuſmodi ſenſûs exquiſiti ſunt, fidium frequens exercitium; vitationémque eorum Artis corruptorum, quibuſcum aures, & digiti potiùs depravari, quàm perfici ſolent. Præterea inexpertorum adhuc, & chordas falsè tangentium vel exinde pleróſque errores emanare adverti, quod ex duabus vocibus ſemitonium conſtituentibus (ut ſunt *mi*, & *fa*; *a*, & *b*; ♮, & *c*; vel etiam ♯*f*, & g; ♯*c*, & *d*; ♯g & *a* &c.) vocem *mi*, aut dieſin ♯ duram in altum nunquam ſatis extendant; vocem verò *fa*, ſive dieſin *b* mollem verſùs grave nunquam ſatis deprimant. Non parùm etiam errant qui contra veram ſonorum dimenſionem, Modorumque muſicorum conſtitutionem, aut contra harmonicam relationem ex antecedentibus & conſequentibus, uti & ex concentu colligendam in tremulis, aut alijs ornamentis, clavibus utuntur improprijs. Offenduntur denique etiam Juſtè tangendo delicatæ aures, quotieſcunque non ſatis nervosè, aut aſſiduè comprimuntur fides: unde admodum ingratus ſtridor, vel ſibillus emittitur.

 De

## II. De Plectro.

IN Plectro apprehendendo conveniunt cum Lullianis plerique Germani quoad cheles minores, aut medias; dum crines pollice premunt, reliquis digitis dorſo ejus incumbentibus. Qui modus etiam ad Baſſum plectendum à Lullianis paſſim obſervatur: à quibus quoad ſuperiores cheles differunt Itali, qui crines intactos ſinunt; & quoad Baſſum *Gambiſtæ* & alij qui inter crines & lignum plectri digitos internectunt.

Præterea quamvis præſtantiores undique fidicines, plectri ductum, quò longiorem, firmiorem, æqualiorem, ſimul ac ſuaviorem; eò ſemper laudabiliorem eſſe unanimiter agnoſcant: de eo tamen certis Regulis modò deorſum trahendo, modò verò ſurſum impellendo, nec inter ſe ſimul, & ſemper; nec niſi fortuitò, ſparſim, & raro cum Lullianis hucusq; conveniſſe Germanos, aut Italos obſervatum eſt. A Lullianis autem, quos Angli, Belgæ aliorúmque multi jam ſequuntur, in præcipuis temporis muſici notis, præſertim in his quæ tempus inchoant, cadentias terminant, & ſaltationis motum magis indicant, unam eandémque plectrum inter ſe dirigendi rationem, licet eorum mille ſimul ſonarent, quàm exactiſſimè teneri, manifeſtè conſtat. Quam uniformitatem, ad inſinuandos ſaltationis numeros valdè idoneam, cùm reduces ex illis regionibus quandoq; Viri Nobiles inter noſtros Germaniæ fidicines, quantumvis cæteroquin dexterrimos, non invenerint; magnam harmoniæ differentiam advertentes valdè ſunt mirati, & ob vitiatos exinde ſaltationis motus non raro conqueſti. Cui incongruentiæ, & confuſionis periculo ad obviandum præcipuas quaſdam Lullianorum de plectro ducendo normas huc afferre operæ pretium eſſe duxi, quarum in exemplis initio Partis *Violæ* intitulatæ quærendis hoc ſignum, ⌊, tractum deorſum; Iſtud verò *v*, impulſionem ſurſum ſignificat.

I. Prima cujuſcúnque temporis nota, ſine pauſa, vel ſuſpirio tempus inchoans, cujuſcúnque valoris ſit, fermè ſemper eſt deorſum trahenda. Hæc eſt præcipua, generalis, ac ferè indiſpenſabilis Lullianorum Regula, à qua totum plectri negotium, plurimáque inter illos & alios differentia dependet; & cui velut famulari videntur reliquæ regulæ. Quomodo verò cœteræ notæ, ut huic ſe accommodent plectendæ ſint, ſequentes docebunt Regulæ.

II. Sub tempore ordinario, quod Theorici Imperfectum vocant, ex omnibus notis tempus in æquales partes dividentibus, quæ de numero impari ſunt, dehorſum trahi; quæ de numero pari autem, ſurſum impelli opportet. Numeri Impares ſunt 1, 3, 5, 7, 9, 11, &c. Pares verò, 2, 4, 6, 8, 10, 12, &c. Vide Exempla ſub litt. A. Hæc Regula etiam in Triplis, alijſque temporis proportionibus, quoad notas æquales diminuentes locum habet. Diminuentes autem omnes illas voco, quæ ſunt celeriores, quàm quas temporis ſignum denominat. Exempl. B. Modus iſte verò æquales temporis partes computandi ita eſt intelligendus, ut pauſæ, vel ſuſpiria notarum valori æqualia, earum loco numerentur. C. Porrò de tota hac ſecunda Regula, cum Lullianis facilè conveniunt reliqui præſtantiores chelyſtæ.

III. Sub Tripla ex tribus notis æqualibus integrum tempus conſtituentibus, cùm prima ſemper trahatur, vi primariæ Regulæ ſupra traditæ, ſecunda ſurſum, & tertia deorſum ſaltem moderatè incedendo quandoque plecti ſolet, quo fit, ut ad inchoandum aliud ſubſequens tempus,, plectrum bis conſequenter deorſum ſit reſumendum. D. Sæpiùs tamen, quod tempore magis properante faciliùs fit, tam ſecunda, quam tertia diſtinctè bipartitâ impulſione ſurſum velut crepitando exprimitur. E.

IV. Sub proportione ſextupla, tempus in duas, F; ſub Nonupla, in tres, G; ſub Duodecupla in quatuor (H.) partes eſſentiales dividitur: quarum cuilibet ex notis à temporis ſigno denominatis tres, & tres æquales conjunctim attribuuntur. Harum trium æqualium prior, etiam quando tempus integrum non inchoat fermè deorſum ſemper trahitur, reliquæ duæ verò bipartitâ impulſione ſurſum à Lullianis impelluntur. F, G, H. Quod ſi ejuſdem quantitatis ſuſpirium præcedat, tunc ſubſequens nota tam in Triplis (I,) quàm in proportionibus (L,) procul dubio deorſum trahenda eſt.

V. Plures notæ integri temporis conſequenter poſitæ ſingulæ repetito tractu deorſum exprimuntur. M. Plures notæ verò integram partem eſſentialem temporis explentes conſecutivæ in proportione Sextupla, & Duodecupla, pro ut in numerum imparem, vel parem incidunt, ſecundum Regulam 2. ſuperiorem alternatim trahuntur, & impelluntur (N,) ſub Nonupla autem Regulæ tertiæ modum primum ſequuntur. O.

6. Plu-

VI. Plures notæ ſyncopantes æquales conſecutivæ alternatim ſingulæ modò ſurſum, modò deorſum plecti ſolent. P. Et hæc de notis æqualibus.

VII. Quoad inæquales autem, prima minorum quæ majorem ſequitur de numero impari cenſetur: unde vel illa ſuo ordine (Q), aut prout ratio poſtulat, reſumpto plectro (R,) deorſum trahitur; vel duæ primæ minores bipartitè ſurſum impelluntur (S); reliquæ verò ſubſequentes æquales alternatim plectuntur; Q, R, S: pauſæ autem, vel ſuſpiria ejusdem ſecum valoris notarum loco numerantur. T.

VIII. Ex tribus notis partem eſſentialem temporis in proportionibus, conſtituentibus, ſi prima poſt ſe punctum habeat, communiter deorſum trahenda eſt. V.

IX. Plures notæ ſingulæ poſt pauſam, vel ſuſpirium temporis, aut ejus partis eſſentialis reſiduum explentes, alternatim trahi, & impelli poſſunt, quando pauſa, vel ſuſpirium tempus vel partem eſſentialem incohat. X.

X. Nota minuſcula ante temporis initium relicta (Y); vel poſt punctum, aut ſuſpirium celeriter tranſiens (Z): Item minor ſyncopatam majorem ſubſequens (AA), ſurſum ſemper eſt pellenda. Unde ſi præcedens etiam impellenda fuerit, impulſio bifariè dividenda erit. BB.

Excipiuntur à prima Regula quandòque properationis gratiâ in modulationibus *Courantes* dictis notæ, quæ tempus de numero pari inchoant, verbi gratiâ quæ tempus ſecundum, quartum, ſextum aut ſimile incipiunt (ſi has modulationes ad Triplam referamus); nam hæ pro reliquarum meliori diſpoſitione & commoditate per modum licentiæ nonnunquam ſurſum pelli poſſunt, modo illæ, quæ tempus de numero impari incipiunt, & ſaltationis numeros magis denotant ſemper deorſum trahantur (CC). Hinc accidit, quod in prædictis *Courantes* non ſingula diſtinctè, ſed bina ſimul conjuncta tempora tantùm ſignentur. Præterea modò primaria primæ temporis notæ Regula ſtrictè obſervetur, quoad alias notas eſſentialem ejus partem inchoantes, & minuſculas relictas, contra quartam octavam & decimam Regulam ſub proportionibus ob properantiam in *Gigues*, *Canaries* & ſimilibus ſæpiùs agendum eſt, in quibus ob crebra puncta intermixta, quomodo procedendum ſit docebunt exempla DD. Similiter ob celeritatem in *Bourées*, & ſimilibus, ſervatâ primâ Regulâ ſuo in rigore, reliquæ ſubſequentes notæ ſæpè contra regulam ſeptimam, prout Exempla EE demonſtrant, licitè diſponuntur. Porrò in tribus his ultimis Exemplis licentiam aſteriſco * ſubſignavi. Denique duæ minuſculæ notæ, uti duæ ſemiſuſæ, fluiditatis vel ornamenti gratiâ tantùm additæ prout commodiùs videbitur poſſunt vel ſingulatim FF, vel (quod ſuavius) confluenter GG ſimul unico, vel altero ductu plecti.

Contra Lullianum modum manifeſtè faciunt, qui aliàs quamcunque primam temporis notam ſurſum impellunt. Hoc apud Germanos, & Italos ſæpè contingit in Triplis; præſertim quando prima temporis nota, ſubſequenti brevior eſt. Ex hac opinionum contrarietate, & primariæ Lullianorum Regulæ tranſgreſſione, plurima ſcaturit diſcrepantia, tùm quoad primas, tum etiam quoad alias exinde dependentes ſubſequentes notas. Quam differentiam ut faciliùs capias, notarum quarundam ſeriem eandem, quomodo à Germanorum, aut Italorum quibusdam contra Lullianorum modum exhiberetur ſub litt. HH; quomodo verò à Lullianis ordinaretur ſub Litt. II. demonſtrare volui. Horum etiam vivacitati repugnant, qui contra Regulam decimam, notam minuſculam poſt punctum relictam in proximæ ſequentis ductum coaleſcere faciunt, uti Exempla LL, oſtendunt: quæ ad Lullianam normam reducta ſub Litt. MM vides. Quamvis è contrà, urgente neceſſitate prædictam minuſculam ad prioris notæ ductum bipartitum referre à Lullianis concedatur NN.

Atqui hæ ſunt præcipuæ ad plectrum ducendum Lullianorum Regulæ, tam à *Violino* & medijs *Violis*; quam ab ipſo *Baſſo* rigoroſè & uniformiter obſervari ſolitæ. In hoc autem maxima verorum Lullianorum conſiſtit dexteritas, ne inter toties deorſum versùs reſumptos tractus quicquam tamen ingrati audiatur; ſed è contra cum ductuum longitudine expedita celeritas; cum motuum diverſitate harmoniæ accurata æquabilitas; & cum ſonorum vivacitate, teneritudinis exquiſitæ ſuavitas mirum in modum ſimul conjungatur.

## III. De Tempore.

Circa diverſos temporis Muſici motus, tria ſunt neceſſaria. Primò ſingularum modulationum verum, proprium, ac ſibi determinatum temporis inceſſum cognoſcere. Secundo hunc

hunc cognitum, quamdiu eadem exhibetur modulatio, ſine ulla retardationis, aut præcipitantiæ alternatione ſua ſemper in æquabilitate conſtanter ſervare. Et tertio tandem quarundam notarum valorem majoris elegantiæ causâ pauliſper immutare & compenſare.

Primum quod attinet, quænam temporis ſigna,& modulationes tardiorem,quænam verò celeriorem motum exigant, in mei *FLORILEGIJ PRIMI* præfatione ( Auguſtæ Vindelicorum anno 1695. Typis dati ) jam inſinuavi, quò Benevolum Lectorem brevitatis gratiâ nunc remitto, qui illud primum Choreumatum meorum Opus apud *Wilhelmum Panneker* Bibliopolam ibidem venale acquirere poteſt. Cur Lulliani autem ſigno binario, aut ſemicirculo tranſciſſo *alla breve* dicto ſæpiùs, quàm noſtro tempore ordinario quadripartito, & ſemicirculo ſimplici indicata ſuis in choreumatibus utantur, in aliud tempus exponere differo.Verùm ad perfectiùs dignoſcendum verum cujusvis modulationis temperamentum præter frequens cum Lullianis exercitium, plurimùm juvat ſaltatoriæ Artis notitia, quam plerique Lullianorum callent; unde non mirum, quòd adeo exactum menſuræ inceſſum inveniant, & conſervent.

II. Porrò cogniti, & inchoati temporis æquabilitatem tamdiu, quamdiu eadem modulatio repetitur, exactè ſervare, non omnes facilè nôrunt: contra quam tum ex toto, tum ex parte ſæpiſſimè peccatur. Ex toto, ſi tota modulatio alterâ vice tardior, alterâ verò celerior exhibeatur, quàm ejus natura, ſpecies, & proprietas exigit: Ex parte verò,quando temporum alterum altero, vel notarum quædam ſuo vero valore lentiùs, aut velociùs incedit.

Ad vitanda vitia quæ contra priores has duas præceptiones committi poſſunt, reijciendus eſt in primis certus apud quosdam receptus abuſus, qui absque ullâ diſtinctione quamlibet cantilenam primis vicibus lentè; ſubſequenter ſenſim celeriùs; ultimò denique celerrimè & præcipitanter ſemper exhibent. Secundo cavendum,ne in cadentijs, diutiùs aut minùs quam notarum valor exigit hæreatur. Tertiò ne poſteriora tempora, prioribus incitatiora fiant, ſed è contra potiùs ad moderationem, quàm ad præcipitantiam inclinandum. Quartò ne ad ſolum fuſarum, aut ſemifuſarum aſpectum attoniti in diminuendo, aut currendo nimiùm properemus, ſed lentè feſtinemus. Quinto providendum ùt in triplis, ultimæ temporis tertiæ parti ſuum verum relinquatur valoris pondus, quam plurimi inadvertenter breviorem quàm decet exprimunt, unde tempus accelerant, inæqualémve reddunt. Hanc notam in Exemplis Litt. OO, aſteriſco * ſupernotavi. Sextò qui error etiam ſub tempore binario, vel *alla breve* in ſecunda, vel quarta ſeminima, præſertim in *Gavottis*, & ſub ſemicirculo ſimplici in fuſis numeri paris facilè committitur (PP) *, quas potiùs tantiſper detineri, quam approperari præſtaret.

III. Notæ diminuentes primi ordinis, cujusmodi ſunt ſub tempore ordinario Imperfecto quadripartito ſemifuſæ, ſub binario, vel *alla breve* fuſæ ſimplices; ſub Triplis hilarioribus, aut moderatis proportionibus omnes illæ, quæ eſſentiali parte temporis aliquâ dimidiò ſunt minores, quando conſequenter ponuntur, à Lullianis non æqualiter prout ſtant ( Id enim quid languidum, incultum & ignobile videretur ); ſed ita paululùm immutatæ exhibentur, ut cuilibet in numerum imparem incidenti veluti puncti valor addatur, quo prolongata ſubſequentem eò celeriorem reddat. Harum diverſas ſub diverſis temporibus ſpecies demonſtrabunt Exempla ſub litt. QQ. Quomodo autem immutatæ nobiliùs exhibeantur litt. RR; quando id tempus concedit.

## IV. Quid moris, & in uſu præterea ſit apud Lullianos, quod propoſito noſtro ſerviat.

I. ANte Auditorum adventum, ſi liceat; aut ſaltem tam leniter, & breviter, quàm fieri poterit, ad amuſſim concordentur Inſtrumenta.

II. Abſtineatur ab omni ſtrepitu, & à tot confuſis præluſionibus, quibus quidam aërem & aures ante ſymphoniam ita implere ſolent, ut quæ exinde nauſea hauritur, omni ſecuturâ delectatione fermè ſit major.

III. Tonus, ad quem Lulliani ſua concordant Inſtrumenta, eſt noſtro Germanico communiter integro tono, imò in Theatralibus tertiâ minore inferior ſeu gravior. Noſter quem *cornetti* tonum vocamus,illis nimis acutus, coactus, & clamitoſus videtur. Si mihi liberum foret,niſi alius obſtaret reſpectus,ob ſufficientem vivacitatem ſuavitati conjunctam chordis paulò craſſioribus adhibitis primum, apud nos *Choralem* dictum præ cæteris eligerem.

IV. Ita

IV. Ita judicioſè diſtribuantur, & pro Muſicorum numero multiplicentur partes, ut ſingulæ æque diſtinctè, ac ſuaviter, & ornatè percipiantur. Nec *Violino* ſive ſupremæ parti ſoli tantus, támque exquiſitus detur chelyſtarum numerus, ùt mediæ, vel inferiores ſufficientibus, & idoneis deſtitutæ videantur: unde harmonia maximo ſuo, in ſtyli hujus inferioribus & medijs partibus latitante ornamento privaretur. Quod ob ſtolidam quorundam primatûs ambitionem ſæpè tamen contingere dolemus.

V. Inſtrumenta quod attinet *Violcttam*, Gallis *Hautecontre* dictam meliùs exhibebit media *viola* ſtructuræ paulò anguſtioris, quàm *Violinum*, ſeu minor ſuprema chelys. Ad Baſſum rectè tractandum, neceſſarió adhibenda eſt minor illa Baſſi chelys, quam Itali *Violoncino*, Germani Baſſum Gallicum vocant, quâ, ſine proportionis harmonicæ mutilatione, carere velle, vix poſſibile videtur. Hanc, pro Muſicorum copia, multiplicare penes directoris judicium erit, cui ſi ſufficiens adſit chelyſtarum numerus ſingularem majeſtatem conciliabit major etiam illa, regionibus his uſitata, quam Germani *Violone*, Itali *Contrabaſſo* vocant, etſi apud Lullianos hujus in Choreumatibus nullus adhuc fuerit uſus.

VI. Quid circa repetitiones obſervandum ſit, jam in præfatione Primi Florilegij mei docui, quam conſulere poterit Muſophilus Benevolus. Reliqua ex additis verbis & ſignis tum repetitionum, tum finalibus cum vocabulo *Fin*, quando in medio finiendum eſt, nec non etiam ex levi praxi facilè colligentur.

VII. Denique temporis exactitudini plurimùm proderit cum Lullianis à ſingulis fidicinibus decente pedis motu illud indicare.

## V. De Venuſtatibus, & Ornamentis

QUi chelyzationis Lullianæ venuſtates, & ornamenta quaſi melodiam, vel concentum obſcurarent, aut in tremulis tantùm conſiſterent, indiſcretè declamitant; Rem profectò non benè conſiderârunt, vel nunquam veros, ſed tantum Pſeudo-Lullianos audiverunt. Nam qui elegantiarum harum è puriſſimo modi cantabilis fonte derivantium naturam & diverſitatem, pulchritudinem & nobilitatem, proprium locum & verum uſum probè cognoverunt, nihil ſanè quod melopœjæ perſpicuitati, aut harmoniæ concinnitati vel minimum officeret; ſed è contra quidquid harum utramque nudam ornare, aſperam lenire, & languentem ſive obdormientem mirâ undique activitate excitare poſſet, in hunc uſque diem affluenter invenerunt. Cum autem ornamentorum horum major ſit numerus, & diverſitas, quàm aliqui forsàn exiſtimarent, breviter tantùm aliquid de præcipuis, & magis neceſſarijs hâc vice dicam, fuſiùs alibi, Deo favente, de his & alijs quondam tractaturus.

Semitremulus, ſive perſtrictio ( , vel ) Incipit & definit ſua in nota, utitur clavi proximâ inferiori ad tremulandum, eâque libenter per ſemitonium diſtante, quam ideò frequenter dieſi X exaltat. Fit plerúmque breviſſimus, unicâ ſœpè revibratione contentus. SS.

Tremulus verus, & integer à proxima ſuperiore incipit & in ſua ſignata clavi definit. Eſt vel ſimplex ( t, , u ) TT; vel Reflexus, ( ) qui unicâ vice ſuam inferiorem etiam aſſumit, & deinde ſua in nota quieſcit ( VV ); vel confluens ( , ) qui à reflexo tantùm differt, quòd in ſua nota non quieſcat; ſed celeriter in ſequentem confluat, è duabus adjunctis ſemifuſis ſœpè colligendus. XX.

Accentuatio ( , vel ) ſuæ notæ unicam clavem præ- vel poſtponit (YY). Hujus ſex ſunt ſpecies, tres præpoſitivæ, & tres poſtpoſitivæ. Præpoſitivæ ſunt *Præaccentus* (1) proximam ſuperiorem, *Subſumptio* (2) proximam inferiorem, & *Inſultura* (3) ſaltu diſtantem clavem præjungens. Poſtpoſitivæ verò *Superficies* (communiter *Accentus*) proximam (4) ſurſum, *Remiſſio* (5) proximam deorſum, & *Disjectio* ſaltantem clavem (6) poſtmodum annectens.

Adminiculatio ( , vel ) præpoſitivas accentuationes amplectens è duabus notis, poſteriori prioris clavem repercutiendam prænectit. ZZ.

Præoccupatio è contra ex poſtpoſitivis fit, & vice verſâ priori notæ, clavem ſequentis adjungit. Aa.

Confluentia duas, vel plures notas unico plectri ductu fluidè connectit. Eſt ſimplex, vel figurata. Simplex ( , vel ) in ipſa compoſitione ſignata nihil addit ( Bb ): Figurata autem aliquid addit. Eſt autem hæc vel recta, vel flexuoſa. Confluentia recta ( , vel ) ad notam ſaltu diſtantem interjectis clavibus intermedijs gradatim confluit (Cc): Flexuoſa verò ( , vel ) promiſcuè hinc inde vagatur (Dd).



Excla-

Exclamatio ( ᵡ ) eſt confluentiæ ſpecies tribus clavibus gradatim aſcendens. Eſt vel acceſſiva, quæ ſuam ad notam (Ee); vel ſuperlativa, quæ poſt ſuam notam ulteriùs aſcendit. Ff.

Involutio ( ∾ ) eſt alia confluentiæ ſpecies trinas claves velut in gyrum quandoque ſimpliciter (Gg); quandoque verò cum tremulo involvens. Hh.

Subcrepitatio ( ⁄ , vel ⁀ ) à confluentiâ ſolùm differt, quòd diſtinctè, & velut punctatim ſubcrepitante plectri ductu notas exprimat. Ii.

Diminutio loco ſuæ lentæ notæ, plures alias minutas concentui tamen idoneas adjungit, ſingulas ſuo ſœpè plectri ductu animans. Ll.

Incurſio ( ⁄ , vel ⁀ ) gradatim, ſed rapidè, maximâque plectri celeritate ſuam ad notam properat. Mm.

Disjunctio ( ı, vel . ) ſingulas notas, quaſi poſt ſe ſuſpiria haberent exprimit, Nn. Atqui hæ duodecim figuræ pro hâc vice ſufficiant: Nunc de uſu earum aliquid breviter dicendum.

Ex omnibus notis in compoſitione qualibet occurrentibus, quædam nobiliores; quædam verò ignobiliores, ſeu viliores habentur. Nobiliores ſunt, quæ naturali quodam dictamine Auditui moram, vel quietem aliquam concedere videntur: uti longiores, aut partis eſſentialis temporis initiales, aut quæ poſt ſe punctum habent, aut inter æquales & diminuentes, quæ de numero impari computantur, quibus plerùmqee tractus plectri deorſum competit. Exiguæ verò, ſive Ignobiliores ſunt cæteræ omnes: nimirum quæ aurium expectationi non ita ſatisfacientes, tanquam tranſitoriæ ulteriùs progrediendi deſiderium poſt ſe relinquunt: vide Exempla litt. Oo, ubi nobiliores litterulâ (n); viliores verò litterulâ (v) ſupernotavi. Quibus præſuppoſitis ſequentes Regulæ meliùs intelligentur.

I. Semitremuli ubique fermè quadrant, omnium celerrimis ſolùm notis exceptis; nec quidquam vetat duos aut plures conſequenter facere, ſi tantiſper moderatè incedatur. Pp.

II. A tremulo melodiam, periodum, aſcenſum, vel deſcenſum incipere, raró niſi in *mi*, vel dieſi ✕ approbatur. In his autem tum ſimplex, tum reflexus, etiam ab ipſo initio ſœpè uſurpatur. Qq.

III. Gradatim aſcendendo (Rr) nobiliori notæ *Adminiculatio* ſola (7), vel cum ſemitremulo (8) tribuitur. Si nimium properetur, iſtud ornamentum tardiori nobiliori, quæ poſtmodùm prima occurret, reſervabitur (9). Ignobiliori moderatè aſcendenti quandoque datur tremulus reflexus ſolus (10) vel *accentu* præoccupatus (11); cui eleganter *adminiculatio* annecti poteſt (12); vel uſurpatur tremulus *confluens* (13). Nobiliori notæ autem aſcendendo tremulum dare, aſperum videtur. Quod ſi quando contingere opporteat, tremulus *præoccupatione* præmitigandus eſt (14). Excipiuntur tamen *mi*, & dieſes ✕, quæ ſive nobiliores, ſive ignobiliores ſint, modò non celerrimè aſcendant, ferè ſemper tremulo adornari ſolent (15).

IV. Gradatim deſcendendo (Ss) nobilioribus notis, præſertim punctatis hinc indè aliquis tremulus ſimplex facilè tribuitur (16). Nonnunquam etiam ignobiliores moderatè deſcendentes hunc ſolum (17), vel *remiſſione* deindè præoccupantem (18) ſuaviter admittunt. Celeriùs deſcendendo ſparſim tantùm quibusdam nobilioribus notis tremulus competit (19).

V. Surſum ſaltando (Tt) Nobiliori notæ adminiculatio ſola (20), vel cum ſemitremulo (21) datur. Aliquando ad excitandam harmoniam *Confluentia* recta ſola (22), vel (quod adhuc elegantius eſt) tremulo confluente involuta (23) nobiliori præponitur. Omnium vivaciſſima eſt Incurſio, quâ interdum (24), at ſobriè tamen utendum eſt. Saltus ad tertiam ſurſum optimè lenitur *exclamatione* acceſſivâ (25(, quæ hìc loci tantùm apud Lulliſtas, & vix alibi uſurpari ſolet. Quamvis alias ad tremulum ſurſum ſaltare vitio vertatur, ad *mi*, vel dieſin ✕ tamen ſœpiſſimè conceditur (26).

VI. Deorſum ſaltando (Uu) raró, niſi quando per tertiam (27), vel ad *mi*, aut ad dieſin ✕ deorſum ſaltatur (28) tremulus datur. Tunc autem tum ſimplex, tum reflexus plerùmque requiritur. Porrò ſaltus deorſum eleganter inſinuatur *Præoccupatione* (29), vel *Confluentiâ* (30), vel ſubcrepitatione (31); vivaciter per Incurſionem (32): Omnium ſuaviſſimè autem confluentiâ cum tremulo tenero, & præoccupatione in penultimâ deſcenſûs (33).

VII.

VII. In Cadentijs, tremulum quædam notæ deſiderant, quædam verò averſantur. Xx. Notæ cadentiam terminanti rarò datur tremulus, niſi per tertiam deorſum ſaltetur (34.) vel gradatim (35.) aut cum præoccupatione ad *mi*, vel dieſin ✕ veniatur (36.) Porrò ſex Cadentiarum more Lullianorum ornatarum elegantiores formulas ſub numeris majoribus I, II, III, IV, V, & VI, in Exemplis addo, quibus te conformare, & Judicioſum præcipuarum figurarum uſum obſervare poſſis.

VIII. Diminutionibus extemporaliter incidentibus, cum rarò fidendum ſit, uſitatiores tantùm quasdam litt. Yy, ſubjungo.

IX. Duo tremuli conſequenter plerumque improbantur. Interpoſitâ tamen *accentuatione* (Zz,) conceduntur (37,) vel ſi (poſtquàm priori notæ, vi ſupra traditorum competierit tremulus) ſequens in *mi*, vel dieſi ✕ duriori reperiatur (38.)

X. Diſiunctio denique (AAA,) ad viviùs inſpirandum ſaltationis motum, in notis mediocris ſaltem valoris (39.) vel integris Triplarum (40.) vel in Proportionum integris eſſentialibus (41.) nonnunquam uſurpari poteſt, modò tamen ſine affectatione, ſinéque levitate aut chordarum vellicatione, & ſemper nervosè, moderatè, nec non eleganter fiat.

Atqui decem his mox traditis regulis totum Lullianarum venuſtatum negotium velut in ſynopſi contineri non improbè aſſeruerim, unde (præter ea, quæ in prioribus articulis oſtendimus) ſingularis methodi hujus ſuavitas, vigor, & elegantia, quâ poſſit ab alijs modis dignoſci, majori ex parte dependet.

Verùm contra nobiliſſimam hanc Melopeiæ partem, quam inanem forſan, inanes aliqui rerum contemptores exiſtimant, quadrupliciter facilè peccatur: nimirum Omiſſione, Improprietate, Nimietate, & Inhabilitate. Omiſſione namque tum Melodia, tum Harmonia nuda, & incompta; Improprietate cruda, & barbara; Nimietate confuſa, & ridicula; Inhabilitate tandem ſtupida, & coacta palam evadit. Hinc tantâ in adhibendis, his pretioſis Muſices ornamentis (ubicunque requiruntur) ſedulitate; in diſcernendis ſingulorum proprijs locis circumſpectione; & in illis perquàm eleganter exprimendis dexteritate opus eſt, ùt *Adminiculationis* in aſcenſu, aut tremuli in *mi*, aut dieſi ✕ (ſaltem nobiliori) minimus neglectus; vel leviſſimus ſaltûs ſurſum ad tremulum, aut *Exclamationis* deſolatæ alibi quàm docuimus abuſus; vel exigua celeritatis, fluiditatis, aut perſpicaciæ in involvendis his figuris difficultàs, illicò tales hoc in ſtylo nondum ſatis verſatos eſſe non rarò prodat, qui ſe Lullianæ perfectionis apicem attigiſſe, jam dudum ſomniaverunt. Quæ omnia, favente Deo, reliquis in lucem ſucceſſivè prodituris *Florilegijs* meis accuratiùs diſcutientur.

Has interim primas Obſervationes meas myſterioſè antehac occultatas, nunc autem Tuum in favorem, Muſo-phile Benevole, ſingulari ſtudio hunc in ordinem compendioſè collectas, & liberè Tui Juris factas æqui bonique conſule, & pro innata tua erga Muſicam Artem propenſione contra Invidos, ſiniſtróſque Intentionum mearum interpretes generoſus defende. In hoc Opere ſiquid inveneris defectuoſi, inſufficientiæ meæ; ſiquid boni autem, ſummo Deo gratiarum Largitori refer, Eúmque precare, ut Orbi Chriſtiano, præſertim caræ noſtræ Germaniæ, tempora concedat tranquilla, aurámque influat Muſis arridentem: Mihi quoque Parnaſſi pervia varias inter curas ambulanti, eluſis hiantibus invidiæ corvis, ſub Auguſtiſſima Aquilæ Auſtriacæ umbra, benigniſſimoque Thiaræ Lambergico-Paſſavienſis tutamine, ulteriorem vitam, ſanitatem, eámque mentis, & rerum diſpoſitionem clementiſſimè tribuat, quæ ad enucleatiùs proſequendam hanc materiam, alioſque tuam in gratiam animo jam conceptos labores exantlandos ſufficiat.

Ad

## Ad Authorem.

FAllor! an Alcinous gemmantes floribus hortos,
An rurſus vernas Flora propinat opes?
Floribus ecce novis nova ludere Flora videtur,
Ut ſpectatores fallere flore queat.
Hos natura novo dictavit munere flores,
Absque colore nitent, & ſine odore placent.
Hoc oculos, hoc flore pedes recreabis & aures,
Nil tamen hic nares, quo recreentur habent.
Muſica quos variјs diſtinxit ſaltibus hortos,
Queis paſcas oculos lector amice vides.
Hic Rhodus hic ſalta: ſaltum qui ſaltibus audes,
Hâc potes ad numeros arte movere pedes.
Hos inter flores tua vivet fama GEORGI,
Ipſa tuas laudes poſthuma fama canet.

Ita canendo ſalit

CHRISTIANUS LEOPOLDUS KRÜNNER, Celſiſſimi & Reverendiſsmi Principis Paſſavienſis à cubiculis & ſaltuum Præfectus.

## Ad Zoilum.

Non tibi mitto meos vulgaris homuncio flores,
Aures & nares inſipientis habes;
Deſpicis hinc flores vilique libramine guſtas,
Deſpiciunt flores te quoque, Mopſe, mei.

FAS-

# FASCICULUS I.

## *Nobilis Juventus.*

Baſſo Continuò.

I. OUVERTURE. Ad Theatri aperturam Exordium, ſive Præludium.





## 2. ENtrée d'Spagnols. Hiſpanorum ſaltatio.





## 3. AIr pour des Hollandois. Choraica pro Batavis modulatio.





## 4. GIgue pour des Anglois. Pro Anglis ſeu Britannis alacre Hyporchema.







## 5. GAvotte pour des Italiens. Pro Italis Choreuma.



A 2 I.r Menuet.

6.



## I. Menuet, pour des Francois. Pro Gallis I. Melos, quod Menuet vocant.



Fin.
Finis.

7.



## II. Menuet. Secundum priori ſimile tripudij melos.





I. Menuet { da Capo. Ut ſupra.

# FASCICULUS II.

*Lœta Poeſis.*

Baſſo Continuo.

8.



## OUVERTURE. Ad Paceſactionem Scenæ prima Symphonia.




Allegro.
Allegro.

9. **LEs Poëtes.** Poëtæ.



10. **JEunes Eſpagnols.** Juvenes Hiſpani.



11. **AUtre pour les mêmes.** Pro jisdem alia Modulatio.



Les Cuiſi-

* Sub Modulationis hujus 2.dâ parte, duo in Violino notata diſticha quatuor ſaltantes Poëtæ ad numerum Harmonicum ſcandebant.


12.
Preſtò.
LEs Cuiſiniers.
Coqui.
13.
LE Hachis.
Minutal.
14.
Allegrò.
LEs Marmitons.
Mediaſtini.

FASCI-

# FASCICULUS III.

## *Illuſtres Primitiæ.*

Baſſo Continuo.

15.



OUVERTURE. Ad Spectaculi Initium Introductorius Concentus.




Gaillar-

16. **Gaillarde.** *Italicè* Gagliarda.



17. **Courante.** *Italis* Corrente.



18. **Sarabande.** *Italicè* Sarabanda.



19. **Gavotte.** *Italicè* Gavotta.



## 20. Paſſacaille. *Italis* Paſſacaglia.



FASCI-

21. **Bourée.** *Italis* Borea.



22. **Menuet.** Singulare apud Gallos tripudij Genus.



23. **Gigue.** *Apud Italos* Giga.



# FASCICULUS IV.

## *Splendidæ Nuptiæ.*

Baſſo Continuo.

24.



OUVERTURE. Præliminaria Symphonia.




Preſtò.
25.
LEs Païſans. Ruſtici.
26.
CAnaries. A Canarijs Inſulis deſumptum Saltationis genus.
27.
LEs Cavalliers. Viri Nobiles.

# Baſſo Continuo.




FASCI-

# FASCICULUS V.

## *Colligati Montes.*

Baſſo Continuo.

51. 

OUVERTURE. Plenaria Chelyum melotheſis Præparatoria.



32.



# ENtrée de Maitres d'armes. Primaria laniſtarum Saltatio. *



33.



# AUtre Air pour les mêmes. Alia pro jiſdem Modulatio.



34.



# UN Fantôme. Spectrum.



Ramon-

* Quibus ſub notis Laniſtæ mutuis ſe petierint ictibus, ex modulationis metro conſideratus Muſo-philus facilè colliget.

35.


LEs Ramonneurs. Caminorum purgatores.



36.


GAvotte pour les Amours. *Gavotta* pro amorum Genijs.



37.


I.r MEnuet, pour l'Hymen. Pro Hymenæo.




*Voltate ſubitò.*
*Vertatur citò.*




# FASCICULUS VI.

*Cari Hoſpites.*

## Baſſo Continuo.




Largò.
40. GIgue.
Piano.
41. GAvotte.



## 42. Rigodon dit le ſolitaire.

Rigodon Solitarij nomine nuncupatum.






## 43. Contredanſe.

Saltus a Gigâ non abſimilis.




Bourée

44.



# BOurée de Marly imitée. Imitatio Choreumatis ſic intitulati.




45.



# PEtite Gigue. Parva Giga.



Ultima hæc parva modulatio equidem jam Anno 1688. a me compoſita fuerat; poſtea verò modo hìc adhiberi placuit.

# FASCICULUS VII.

## *Numæ Ancile.*

## Baſſo Continuo.

46.



### OUVERTURE. Ad aperturam Theatri ſymphona Præluſio.



47.



# ENtrée de Numa. Numæ Pompilij Saltatio.



48.



# AUtre air pour le même. Alia pro Eodem Modulatio.



49.



# TRaquenard p.r de Jeunes Romains. Genus Choreumatis *Traquenard* dictum, pro adoleſcentibus Romanis.





50.

## II.[d] AIr pour les mêmes. Aliud pro ijsdem melos.



51.

## BAlet pour les Amazones. Pro Amazonibus Hyporchema.





# I.r MEnuet pour les ſusdittes. 52.

Pro Prædictis I.mum *Menuet.*




# II.d MEnuet. 53.




D FASCI-

# FASCICULUS VIII.

## *Indiſſolubilis Amicitia.*

CUm ultimus iſte ſubſequens operis hujus Faſciculus Muſo-philorum quibusdam per bb mollia; quibusdam verò per ✕✕ dieſes Suavior evenire viſus ſit: utrumque exhibendi modum additis bb mollibus, aut ✕✕ dieſibus neceſſarijs indicare,& liberæ Muſicorum diſpoſitioni committere volui. Imò cum quædam dieses ✕✕ in medijs *Violis*, & *Violone* ſeu *Baſſi* Chely admodùm difficulter a nonnullis Juſtè tangantur, ſi tamen *Violinum* cum dieſibus ſonare libuerit, non ineptè cum ipſo per dieſes incedente, partes medias, & *Baſſum* per bb mollia modulari curabis; modò, vel prædictas voces medias unà cum *Baſſo*, ſemitonio minore altiùs universìm intendi; vel his ordinario ſuo in tono remanentibus, *Violinum* (quod mihi commodius videtur) ſemitonio pariter minore gravius totaliter deprimi Juſſeris.

## Baſſo Continuo.





55. LEs Courtiſans. Aulici.



## 56. Rondeau. Circularis Modulatio.




## 57. Les Gendarmes. Equites.



NB. Sub notis aſteriſmo * Signatis quatuor Saltantes equites Sclopeta ad invicem explodebant.

Les

58. LEs Boſſus. Gibboſi.



59. GAvotte.



60. SArabande p.r le Genie de l'Amitié. Pro Amicitiæ Genio.



## 61. GIgue.




## 62. MEnuet.



# F I N I S.

# INDEX
## FASCICULORUM
### Hoc Florilegio ſecundo contentorum.

FASCICULUS I. in D. naturali *Nobilis Juventus* dictus, deſumpto â diverſa quarundam nationum indole & veſtibus argumento, Anno 1691. concinnatus, & ſaltu exhibitus. Paginâ 1.

FASCICULUS II. in G.♮ *Lœta Poëſis* nuncupatus Anno 1692. compoſitus & productus. Pag.4.

FASCICULUS III. in A. naturali, *Jlluſtres Primitiæ* intitulatus, uſitatiores ſaltatoriæ artis normas continens, Anno 1693. elaboratus, & exhibitus. Pag.8.

FASCICULUS IV. in D. cum ✱3.ª majore, *Splendidæ Nuptiæ* vocatus Anno 1691. comparuit. Pag. 11.

FASCICULUS V. in G. cum b3.ª minore, *Colligati Montes* appellatus Anno 1692. harmonicè inſonuit. Pag.15.

FASCICULUS VI. in A. cum ✱3.ª majore *Grati Hoſpites* dictus Anno 1693. productus. Pag.18.

FASCICULUS VII. in E. cum 3.$^{tia}$ minore, *Numæ Ancile* nuncupatus Anno 1693. concinnatus & exhibitus. Pag.22.

FASCICULUS VIII. in E. ſive molli, ſive duro cum 3.ª majore, *Jndiſſolubilis Amicitia* intitulatus, Drammatis ex hiſtoria Damonis & Pythiæ deſumpti ſaltibus Anno 1695. adhibitus. Pag.26.

# *SYLLABUS OPERUM,*
## *Ab Authore jam in Lucem datorum,*

I.

APparatus Muſico-Organiſticus Invictiſſimo LEOPOLDO I. Imperatori ſemper Auguſto, ad Coronationem auſpicatiſſimam Conjugis, ac Filij, &c. humillimè oblatus. *Prodijt in lucem magnis ſumptibus ad folij chartæ regalis magnitudinem in tabulis æneis eleganter ſculptum hoc opus Anno 1690. & ad ipſasmet Auguſtiſſimas manus,* Auguſtæ Vindelicorum *demiſſiſſimè ab Authore Præſentatum, Clementiſſimè autem à* Sacrâ Cæſareâ Majeſtate *auditum, munificentiſſiméque exceptum fuit. Continet autem duodecim modulationes, quas Organiſtæ vulgò* Toccatas *vocant, cum tribus alijs paulò Jucundioribus additis; Scil:* Ciacona, Paſſacaglia, Cyclopejade nova Harmonica, *quâvis ſuis ornatâ variationibus. Suppeditat itaque copioſum artis Organiſticæ Exercitium. Habetur autem Paſſavij apud* Authorem, *vel* Georgium Adamum Höller, *ibidem Typographum; nec non etiam Salisburgi apud* Joan. Bapt. Mayr *Typographum Aulico-Academicum.*

II. Suavioris Harmoniæ Inſtrumentalis Hyporchematicæ FLORILEGIUM PRIMUM, *quinquaginta modulationes Styli Choraici quas vulgò* Balet *vocant, more potiſſimùm Gallico concinnatas, &* à quatuor vel quinque fidibus neceſſarijs, *unà cum* Baſſo Continuo ad libitum *exhibendas continens. Auguſtæ vindelicorum Typis* Jacobi Koppmayr *Anno Domini 1695. impreſſum, & apud* Wilhelmum Panneker *Bibliopolam ibidem venale habendum.*

III. *Et præſens hoc* Suavioris Harmoniæ Inſtrumentalis Hyporchematicæ FLORILEGIUM SECUNDUM. *Atqui ſic in poſterùm inter diverſa alia mea publicam in lucem danda opera; ſub tituli hujus continuatione* (Suavioris *ſcil:* Harmoniæ Inſtrumentalis *&c.*) *plura ejusdem Styli* FLORILEGIA, *unà cum additis ſuo loco ulterioribus obſervationibus neceſſarijs, (favente DEO,) tempore & ordine congruo ſubindè ſequentur.*

*Porrò primos hos meos labores, ut æqui bonique conſulas* Amice Lector, *tuam efflagito benevolentiam, donec brevi, nimirum poſt aliquos menſes elapſos, priori tibi Anno in* PRIMO *meo* FLORILEGIO *promiſſum aliud, nunc ad umbilicum fermè jam perductum inſoliti, & ſublimioris Styli ſumptuoſum Opus,* Exquiſitioris Harmoniæ Inſtrumentalis Gravi-Jucundæ SELECTUS PRIMUS *intitulatum, & non ſolùm Choraicarum modulationum more* Lullij *concinnatarum ſuavem hilaritatem exhibens; ſed etiam graves, exquiſitosvè Italicorum pathematum affectus ſatis appoſitè intermixtos complectens, unà cum quibusdam etiam circa hoc genus ad præfationes annexis admonitionibus, delectationi tuæ devoveam. Vale interim, & Muſam meam ad ulteriora tuo incita favore.*

# FINIS.

| | Typi Errata,<br>Fehler deß Drucks/<br>*Errori della ſtampa,*<br>Fautes d l' impreſſion, | Sic corrigenda.<br>Alſo zu verbeſſeren.<br>*Così da corregere.*<br>A corriger ainſi. |
|---|---|---|

## In Baſſo Continuo.

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 2. lin. 9. Initio Gig. |  |  |
| Pag. 10. cuſtos in fin. | Faſc- . . | Bourée. |
| Pag. 11. infr. ſignum. | C 2. - - | B 2. |
| Pag. 16. lin. 16. poſt 4. tempora. |  |  |
| Pag. 21. lin. 4. poſt 2. tempora. |  |  |

## In Violino.

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 4. lin. 3. poſt 1. tempora. |  |  |
| Pag. 8. lin. 4. poſt. 2. tempora. |  |  |
| Pag. 9. lin. 4. Initio. |  |  |
| Pag. 11. lin. 5. poſt 2. tempora. |  |  |
| Pag. 28. lin. 6. poſt 3. tempora. |  |  |
| Pag. 29. lin. 6. poſt 2. tempora. |  |  |
| Pag. 29. lin. 8. poſt 1. tempus. |  |  |
| Pag. 31. lin. 3. poſt 5. tempora. |  |  |

## In Violetta. Haûte-Contre.

Pag. 2. lin. 10.
Initio.



Pag. 8. lin. 3. poſt
1. tempus.



## In Viola Tenore, ò Quinta Parte.

Pag. 7. lin. 10.
Initio.



Pag. 8. lin. 5.
Initio.



## In Violone. Baſſe.

Pag. 2. lin. 5.
Initio.



## Bericht an den Buchbinder.

Allß den zweyen Kupfferſtich ſoll einer dem Baſso continuo, der ander aber dem Violino vorgeſetzt werden. Hernacher hält der erſte Duern )(/ )(2/ den Titul/ die Zuſchrifft/ und Vorrede; Der anderte aber )()(/ )()(2/ die Anmerckungen; Beede auch dieſes alles beym Baſso continuo auff Lateiniſch/ beym Violino auff Teutſch/ bey der Violetta auff Italiäniſch/ und bey dem Violone auff Frantzöſiſch. Bey der Viola oder erſten Bratſchen/ iſt der erſte Duern )§(/ )§(2; bey der Viola Tenore aber/ oder anderten Bratſchen/ der Titul nur auff einem halben Bogen. Hierauff folgen in jeder Stime A/ A2/ B/ B2/ C/C2/ D/ D2. Dieſer halber Bogen aber ſoll am End deß Baſſi continui gehefftet werden.

## Admonitio ad Bibliopegum.

FRontiſpiciorum Æneorum alterum Baſso continuo, alterum verò Violino præponendum. Deinde primus duernio )(, )(2, titulum, dedicatoriam, & præfationem; ſecundus autem, )()(, )()(2, Obſervationes, hæc omnia porrò utérque in Baſso continuo Latinè, in *Violinò* germanicè, in *Violetta* Italicè, & in *Violone* Gallicè continet. In *Viola* (primâ ſcil.) primus duernio eſt )§(, )§(2; In Viola Tenore verò Titulus ſolo medio folio. Poſtea ſequuntur in qualibet parte A, A2, B, B2, C, C2, D, D2. Hocce erratorum foliolum denique Baſso continuo poſtnectendum eſt.

## *Aviſo al Libraro.*

*DE' duoi frontiſpicij intagliati in rame, l' uno hà da metterſi avanti il Baſſo continuo, e l' altro avanti il Violino. Contienne pòi il primo Duerno )(, )(2, il Titolo, la Dedicatoria, e la Prefatione; ed il ſecondo )()(, )()(2, l' Oſſervationi; mà ambi duoi tutte queſte coſe nel Baſſo continuo in Latino, nel Violino in Todeſco, nella Violetta in Italiano, e nel Violone in Franceſe. Nella Viola (cioè la prima) ci è il primo Duerno )§(, )§(2; e nella Viola Tenore il Titolo ſolo d' un mezzo-foglio. Seguitano poi in Ciaſche d' una delle parti A, A2, B, B2, C, C2, D, D2. Queſto mezzo-foglio pòi vienne al fine del Baſſo continuo.*

## Avis au Relieur.

DEs deux frontiſpices gravés en taille douce, l' un ſe doit mettre avant la partie de la Baſſe continue, & l' autre avant celle du Deſſus, ou *Violino*. Enſuitte le premier Duerne )(, )(2, contient le Titre, la Dedicatoire & la Preface; le ſecond )()(, )()(2, les Obſervations; Et l' un & l' autre le tout en Latin dans la Baſſe continue, en Allemand au deſſus ou *Violino*, en Italien dans la Haute-contre ou *Violetta*, & en François dans la Baſſe, ou *Violone*. Au commancement de la Taille, ou Viola le premier Duerne eſt )§(, )§(; & avant la Quinte, ou *Viola Tenore* le Titre n' eſt que d' une demy-feuille: Enſuitte ſuivent en chaque partie A, A2, B, B2, C, C2, D, D2. Cette demy-feuille-cy ſe met a la fin de la Baſſe continue.